



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

12. Solutio quorundam recentiorum impugnatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

(repugnat enim Deum velle in actu primo concurrere ad dissenfum cum arbitrio prædeterminato ad consensum) consequens est nihil prodesset indifferentiam iudicii ad libertatem arbitrij, si cum illo iudicio ponatur prædeterminatio physica ad consensum.

§21 Dices in eo casu adesse concursum Dei in actu primo ad dissenfum, non quidem ad dissenfum cum prædeterminatione ad consensum, sed ad dissenfum in sensu diuiso ab illa prædeterminatione.

§22 Sed contra, etiam homo ligatis pedibus habet concursum Dei in actu primo ad ambulandum casu quo soluantur pedes, sed tamen simpliciter, & absolute non potest ambulare hic & nunc, nec habet libertatem ad ambulandum, quia hic & nunc non debetur ille concursus ratione illius impediendi, sic etiam licet Deus offerat homini prædeterminato ad consensum concursum ad dissenfum, non tamen potest homo hic, & nunc dissentire etiam cum iudicio indifferenti, quia ille concursus ad dissenfum, non debetur hic, & nunc, quandiu non tollitur prædeterminatio ad consensum.

§23 Fateor libertatis radicem oriri ex indifferentia iudicii, quatenus ratione illius iudicii indifferentis debetur arbitrio concursus Dei in actu primo ad vtrumque actum, & per consequens debetur negotio totius prædeterminationis, vel necessitatis ad consensum determinate.

§24 Fateor etiam esse satis probabile, quod aliqui ex nostris opinantur, non posse stante iudicio indifferenti prædeterminari physice voluntatem ad consensum, adeo enim censent repugnare prædeterminationem cum indifferentia, vt neque etiam cum iudicio indifferenti possit dari prædeterminatio voluntatis, quod docet P. Vazquez 1. part. disput. 90. cap. 2. num. 8. & disput. 98. num. 32. & disput. 99. num. 51. & probabile censet Pater Suarez tomo 1. de gratia Prologomeno 1. cap. 5. num. 7. licet ipse verius existimet posse dari de potentia absoluta prædeterminationem physicam cum iudicio indifferenti, sed quidquid de hoc sit, negamus tamen saluari quod requiritur ad libertatem arbitrij, si per possibile, vel impossibile ponatur prædeterminatio voluntatis cum iudicio indifferenti, quia iam non maneret potestas simpliciter ad dissenfum, vt vidimus.

SUBSECTIO XI.

Solutio quorundam Recentiorum impugnatur.

§25 Quidam Theologi Dominicani Salmanticenses post tentatas alias vias ad consiliandam libertatem arbitrij cum auxilio prædeterminante, hunc modum excogitarunt, ut fugerent argumenta supra facta. Dicunt enim auxilium prædeterminans dari à Deo dependenter ab ipsa operatione arbitrij ad quam datur non solum in genere causæ finalis, sed in genere quasi causæ, vel dispositionis moralis, non enim datur prædeterminatio, ut homo operetur; sed etiam datur, quia homo se disponit per ipsam operationem ad recipiendam prædeterminationem, sicut dicunt multi, actum contritionis præcedere, vt dispositionem ad habitum Charitatis, à quo tamen

habitu ipsa contritio procedit efficienter, & sicut opinantur Thomistæ ultimam dispositionem disponere ad formam, & tamen fieri ab ipsa forma. Hoc ergo supposito facile videtur consiliare prædeterminationem cum libertate, nam licet in sensu composito auxilium prædeterminantis non possit homo non conuerti, libere tamen conuertitur, quia ipsa prædeterminatio datur dependenter ab operatione libera, qua homo se disponit ad prædeterminationem, primum hac ratione explicatur; quomodo qui non conuertitur habeat auxilium sufficiens, quia per ipsum stat quod non habeat prædeterminationem, si enim se dispo-neret per conuersionem actualem, eo ipso haberet prædeterminationem ad ipsam conuersionem, sicut qui non conuertitur habet auxilium sufficiens ad contritionem quia per actualem contritionem potuit se disponere ad recipiendum habitum charitatis, quo eliceret ipsam contritionem.

Hanc sententiam multi graues Doctores appellant sententiam mediam, quia reuera longissime distat à sententia quam antea defendebant Thomistæ, & quam adhuc modo maior eorum pars defendit, & contra quam nostra Societas tandem disputauit, & licet hanc etiam secundam sententiam improbabilem existimemus, non tamen sentio tam acriter contra eam dimicandum, quippe cuius absurdum totum fere deducitur ad principia philosophica de mutua prioritate inter dispositionem, & formam, quæ qui semel deuorauerit, iam videtur vtrunque saluare libertatem arbitrij, & indifferentiam, quæ ad meritum requiritur in aliis actibus pijs spectantibus ad salutem. Nostris vero Doctores, vsque adhuc disputant contra prædeterminationem physicam datam à Deo independentem à libero arbitrio, qualem Augustus Dominicani eam ponebant vt apud ipsos facile poterit videri, & constabit ex eorum verbis; si enim inquiras à Magistro Bañez quid præcesserit ex parte huius hominis, vt prædeterminaretur potius, quam ille; Respondet nihil prorsus præcedere; sic ille 1. p. quæst. 23. art. 3. dub. 3. consequentia vltima his verbis: [si quis quærat quare quibundam in singulari hæc dona conferat Deus, aliis vero denegat? Respondetur cum D. Thoma non esse rationem quærendam, hoc enim ex simplici Dei voluntate dependet.]

Facilius certe, sed longe aliter responderent hi recentiores rationem esse, quia hic se disposuit, ille non se disposuit ad prædeterminationem recipiendam? vbi ergo est altitudo illa diuitiarum & inscrutabilitas iudiciorum Dei ad quam nos frequenter remittebant? vbi est illud non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, iam enim iuxta hanc sententiam volentis est, & currentis, & disponentis se ad gratiam efficacem recipiendam, sed quid moramur in hoc? ipsi metagnoscunt diuersitatem huius sententiæ, & eam ut contrariam antiquæ, & hereditariæ suæ doctrinæ fere omnes reiiciunt.

Nec mirum, quia ipsimet Romæ dum suam sententiam coram illustrissimis Cardinalibus proferrentur ita explicitis verbis dixerunt in secunda assertionem exhibita die 23. Maij. anno 1599. efficacia hæc pendet ab æterno & absoluto voluntatis Dei prædeterminantis decreto in particulari ante præuisionem boni vsus liberi arbitrij futuri actus illos, quibus homo ad Deum conuertitur. Ecce fatentur prædeterminationem dari ante præuisionem nostræ operationis.

Retentio

329 Retentiores vero è contra concedunt dari ex praevisione consensus, quo se homo disponet ad eius receptionem. videat Lector an hoc sit permanere, an discedere à priori sententia, quam Roma defendebat: nobis sufficiat argumenta proposita contra praedeterminationem adeo esse valida, ut robustissimos proceres aduersae partis coegerint per aliam viam longe diuersam redire ad cognitionem veritatis, & praedeterminationis rigorem adeo lenire, ut faciat iam illam dependentem à libero arbitrio, sed quidquid sit de hoc adhuc nobis non placet, quia ex sententia sic explicata, non videtur vitari satis omnia inconvenientia in hac materia.

330 Primo quia non satis consulitur libertati arbitrii, ponit enim praedeterminationem antecedenter requisitam in genere causae efficientis ad consensum: ergo consensus non fit libere. Probatur consequentia, quia actus liber est, qui positus omnibus requisitis ex parte principij potest esse, & non esse, ut in superioribus probatum est: sed consensus iste non potest non esse positus praerequisitis ex parte principij, non enim potest non esse posita praedeterminatione, quae requiritur ex parte principij: ergo consensus non est liber, quomodo enim est liber si non procedit à principio indifferenti ad utrumlibet.

331 Dices voluntatem esse indifferentem, quia potest dissentire in sensu diuiso casu quo crearet praedeterminatione.

332 Sed hæc solutio iam supra impugnata est, & nunc iterum impugnata est, & nunc iterum impugnari potest specialiter, quia Concilia non solum exigunt libertatem in sensu diuiso, sed etiam in sensu composito, ut supra ex eorum verbis ostendimus, petunt enim libertatem, qua possit homo motus, & excitatus resistere, dissentire & abdicere vocationem illam qua mouetur adhuc quando mouetur per illam, quæ omnia euidenter sonant aperte sensum compositum, ut ibi probavi, in hac vero sententia non potest homo resistere auxilio praedeterminanti, nec illud abdicere, nec ei dissentire, quia non potest homo coniungere dissentium cum auxilio praedeterminante: ergo adhuc non saluatur libertas, quam Patres, & Concilia exigunt.

333 Secundo displicet hæc sententia, quia dum curat ab altero extremo recedere, & saluare indemnem libertatem, videtur in alterum extremum adeo inclinare, ut tribuat arbitrio plus quam par est in negotio nostrae salutis, ponit enim primam gratiam efficacem dari intuitu nostrae dispositionis, & per consequens initium nostrae iustificationis non provenire omnino ex gratuita largitate Dei, sed ex dispositione arbitrii; nam prima vocatio efficax ad fidem v. g. datur huic homini, quia ipse se disposuit ad illam vocationem recipiendam: ergo iam Deus non antecedit, sed subsequitur nostros conatus: ergo solum aperit pulsanti, & manifestatur soli querenti, & petenti, qui modus loquendi fugiendus omnino est, ne videamur approbare argumenta, & sententiam Semipelagianorum, & Massiliensium, qui hoc pacto explicabant quomodo ex nobis esset initium nostrae salutis, ac proinde nos mereri de congruo primam gratiam, nam congruum est, aiebant, ut ex vi talis dispositionis compararet homo primam gratiam, quæ datur ex intuitu illius libere dispositionis.

334 Dices Massilienses posuisse initium salutis ex viribus naturæ per actus non ortos ex gratia; at vero hos auctores ponere initium salutis in acti-

bus ortis ex ipsa gratia, & ideo totum hoc reducit ad gratiam.

Sed contra, quia Massilienses non solum videntur errasse in eo quod ponerent ex viribus naturæ initium iustificationis, sed etiam in eo quod posuerint gratiam pedissequam nostrorum operum, & subsequi ad ea, ex hoc enim fieri videtur contra Apostolum dicentem gratiam non esse gratiam cum iam esset ex operibus, quo Apostoli testimonio frequenter utebantur Patres aduersus semipelagianos, quare Tridentinum sess. 6. cap. 8. docet. [ideo hominem iustificari gratis, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera ipsam iustificationis gratiam promeretur.] Ecce omnia opera in uniuersum exclusit ne aliquis diceret per opera supernaturalia disponere se, hominem ad primam gratiam obtinendam, & subiungit rationem: [Si enim gratia, iam non ex operibus, alioquin ut idem Apostolus inquit, gratia iam non est gratia.] Ergo si præcedit aliquod opus, cuius intuitu datur prima gratia, & illud opus sit supernaturale, gratia non erit gratia: ergo stante firmo hoc fundamento, quo Ecclesia vitur contra Massilienses non videtur dicendum dari primam gratiam ex dispositione etiam supernaturali, qua homo se disponit ad primam gratiam.

Dices iterum Massilienses posuisse initium iustificationis ex meritis arbitrii, saltem de congruo, & ideo errasse, quia quod datur ex meritis non datur omnino gratis; at vero hos auctores non docere consensum præcedere per modum meriti, sed solum per modum dispositionis ad recipiendum auxilium praedeterminans seu primam gratiam efficacem, ex quo non sequitur gratiam non esse gratiam, cum non datur villo modo ex meritis.

Sed contra, quia in primis Massilienses, non ita contendisse videntur de ratione meriti, ut non videantur contenti, si daretur illis præcedere usum liberi arbitrii, per modum dispositionis, vel conditionis; imò ipsi fugere videntur sæpe vocabulum meriti, & ideo vocabant nostros conatus anfulam, occasionemque quam Deus inueniret in nobis ad largiendam gratiam; ita loquitur Cassianus lib. 12. de spiritu superbia cap. 14. his verbis dicimus secundum Salvatoris sententiam dari quidem petentibus, & aperiri pulsantibus, & à querentibus inueniri, sed petitionem, & inquisitionem, & pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei id, quod petimus dederit, vel aperuerit cum pulsamus, vel illud quod querimus fecerit inueniri, præsto est enim, occasione sibi tantummodo à nobis bonæ voluntatis oblata ad hæc omnia conferenda, & idem docet collatione 3. capite 3. & 6. ex quo apparet quam facile contenti essent si daretur illis bonum usum liberi arbitrii esse dispositionem & conditionem ad gratiam, quantumvis omnis ratio meriti tolleretur.

Cæterum in Concilio Atraciano secundo, Canone 4. verba generalia passim sunt, quæ videntur excludere omnem præcedentiam, damnantur enim dicentes Deum expectare voluntatem nostram, ut à peccato purgemur, & adducitur ad hoc probandum testimonium illud Scripturæ: præparatur voluntas à Domino; quæ verba de preparatione, quam solus Deus facit intelligit Augustinus quaest. 2. ad Simplicianum tom. 4. & libro de prædestinatione sanctorum cap. 5. & 16. & contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 8.

et 9. *tomo 7.* & alibi sepe: non ergo videtur iuxta mentem Concilij admittere posse hominem se disponere, & præparare ad primam gratiam habendam, quia iam tunc expectaret Deus nostram voluntatem; siquidem pro illo priori prævideret Deus nostram dispositionem antecedenter ad gratiam, tunc ex tali prævisione monetur Deus ad dandum auxilium prædeterminans in hac sententia, & per consequens non solum Deus præpararet voluntatem humanam, sed etiam ipse homo.

339 Quod vero illa dispositio non sit per modum meriti non videtur tollere multa ex inconuenientibus, & intentum Massiliensium magna ex parte monere, iam enim verum videtur primam gratiam dari pulsantibus, quærentibus, petentibus, & negari non pulsantibus, non quærentibus, non petentibus.

340 Item arbitrium præcedere, & gratiam subsequi, item primam nostram discretionem provenire à nobismetipsis, non per modum meriti, sed tamen per modum dispositionis; item in nostra potestate esse quod nobis detur gratia efficax, & alia huiusmodi, quæ si Massiliensibus darentur, suspicor illos parum curaturos de nomine meriti, & quæ Doctores Societatis nunquam concederent, quare mirum est eos ipsos, qui nos nuper arguebant, quasi nimirum essemus fautores arbitrij, iam tandem ita suscepisse arbitrij partes, ut tribuant in negotio salutis longe pluriquam vilius vnquam ex Societate tibiudare auderet.

341 Deinde immerito negat talem dispositionem, quam concedunt esse meritum de congruo, nam Massilienses nunquam aliud concesserunt nisi talem dispositionem ex cuius intuitu dicebant dari primam gratiam à Deo, & quia dicebant congruum esse, ut posita illa dispositione daretur prima gratia, erunt Doctores omnes ex eorum sententia sequi manifeste talem dispositionem esse meritum de congruo ad primam gratiam recipiendam.

342 Tum sic vos dicitis præcedere talem dispositionem ad primam gratiam, & congruum esse ut prima gratia detur homini ita disposito: ergo dicendum est talem dispositionem esse meritum de congruo, ut Massilienses, & Semipelagiani assererent, nam sicut ipsi solum concedebant dispositionem congruentem ad primam gratiam recipiendam, ita & vos; ergo sicut illorum dispositionem dicunt omnes esse meritum de congruo ad primam gratiam, ratione cuius damnatur à Concilio Arausicano eorum sententia, ita similiter (etiam vobis renuentibus, quia quod in re conceditis, negatis verbis:) debet vestra dispositio vocari meritum de congruo ad primam gratiam, quod maxime periculosum est.

343 Dicat aliquis huiusmodi dispositionem non habere aliquod inconueniens, quia non est in genere causæ efficientis, sed in genere causæ materialis, in quo genere non est libertas, nec moralitas, sed videtur esse conditio mere physica, quam non videtur excludere Concilium, nec Patres; hi enim solum videntur curasse de dispositionibus moralibus, quas Massilienses volebant præcedere.

344 Sed contra, quia licet hi auctores solum dicant præcedere illam dispositionem in genere causæ materialis, re tamen vera vtuntur illa tanquam si præcederet libere, & moraliter, ponunt enim illam ut explicent quomodo sit in potestate

arbitrij habere auxilium prædeterminans, nimirum quatenus potuit homo disponere se per consensum ad prædeterminationem quæ esset principium ipsius consensus: ergo licet verbis videantur negare, se tamen ipsa ponunt consensum, ut dispositionem moralem, quia ponunt illum ut dispositionem, media qua causa libera se disponit, vel indisponit libere ad habendum auxilium efficax, quare licet videatur distare hæc sententia à Massiliensium sententia, quia Massilienses ponebant vsum liberi arbitrij ut dispositionem præcedentem, pendente ab utraque causa efficienti, & materiali ante aduentum gratiæ. Hi vero Doctores solum videntur ponere illam dispositionem præcedere gratiam in subiecto dependentem à subiecto, non tamen præcedere cum dependentia à causa efficienti. Item Massilienses ponebant actum illum bonum disponere ad gratiam, quæ quidem non esset principium eiusdem actus, sed alterius actus boni ulterioris. Hi vero Doctores ponunt actum bonum disponere ad gratiam, qua fiat idem actus bonus, in quo ad minus differunt à Massiliensibus.

Nihilominus ex modo ipso quo docent actum bonum disponere ad gratiam prædeterminantem, ut hoc pacto defendant esse in nostra libertate habere, vel carere gratia prædeterminante, videntur re ipsa concedere contra sui ipsorum verba dispositionem illam præcedere, non solum in genere causæ materialis, sed cum dependentia à libero arbitrio, ut causa efficienti, alioquin non præcedit ut dispositio libera, & per consequens non adstruit ut ratione illius sit in nostra libertate habere gratiam efficacem.

Quod vero attinet ad secundum, licet Massilienses non ponerent actum bonum, ut dispositionem ad gratiam, qua fieret idem actus, sed alium diversum; hoc tamen ideo erat, quia ipsi existimarent esse omnino impossibile illud genus dispositionis, propterea vera impossibile est, quare Massilienses quod attinet ad Philosophiam factis consequenter loquebantur, si aliunde non errassent in principiis fidei; a vero hi auctores, licet discedant à Massiliensibus in hoc puncto, involunt tamen contradictionem in terminis, dum ponunt dispositionem moralem ad gratiam qua fiat ipsa dispositio, & aliunde non videntur fugere aliqua illorum inconuenientia, ut supra vidimus.

Denique displicet hæc sententia, quia contra commune Theologorum axioma videtur supponere posse principium meriti cadere sub ipsum meritum, quatenus concedit per actum bonum se disponere hominem ad gratiam efficacem, qua fiat idem actus bonus, & licet non appelletur illud meritum sed dispositio ad gratiam efficacem, quoad hoc tamen parum refert, cum eadem sit repugnantia in utroque, quis enim credat posse Deum homini cæco ita promittere; si videris parietem dabo tibi oculos quibus eum videris certe modo visio exigatur ut meritum, modo ut dispositio ad oculos utroque modo videtur in terminis repugnare illa promissio: ergo & hæc, qua dicitur, si habueris actum contritionis dabo tibi auxilium efficax ad ipsum actum habendum, hoc pactum impossibile est quocunque modo explicetur.

Sed quia hæc sententia fundatur principio quodam philosophico, quod ab omnibus Societatis Doctoribus falsum appellatur, nimirum posse dari mutuum prioritatem inter causam efficien-

tem, & effectum eiusdem causae, ideo operæ premium duxi data opera destruere hoc fundamentum, quo labefactato rueret funditus sine dubio ædificium huius sententiæ, quia illi innititur apparenter.

349 Primo enim sic argumentor, nam actus ille, qui est dispositio ad gratiam efficacem prædeterminantem, præcedit ut dispositio cum tota sua entitate reali, quia in tantum disponit ad auxilium prædeterminans in quantum est actus supernaturalis huius vel illius speciei; sed implicat quod talis actus secundum suam realitatem villo modo præcedat, aut prior sit prioritate aliqua reali respectu gratiæ efficaciæ, & prædeterminantis, quæ per vos est vera causa efficiens, quæ producit & efficit realiter talem actum bonum; ergo falsum est illud fundamentum, quo innititur tota sententia aduersariorum ac proinde falsa erit omnino sententia ipsa.

350 Maior est evidens, minor in qua est tota difficultas sic demonstratur, quia illud, quod est prius, & præcedit aliqua prioritate reali, id quod est posterius secundum suam veram, & propriam entitatem est certissimum in illo priori habere illam entitatem secundum quam præcedit id quod est posterius; sed non potest habere effectus veram entitatem in priori ante suam causam; ergo.

351 Minor sic probatur, quia si talis entitas præcederet in illo priori effectus haberet suam entitatem à se, & non à causa; sed hoc est falsum, cum entitatem, quam habet effectus fecerit causa efficiens: ergo effectus non præcedit cum propria entitate in aliquo priori ante suam causam. Maior est certissima, quia effectus ille in illo priori est ante causam; ergo in illo priori non habet esse à causa: ergo effectus habet entitatem in illo priori sine influxu causæ: ergo nunquam habebit per influxum causæ, quia si ad aliquid esset necessarius talis influxus, maxime ad dandum esse effectui; quod non habet effectus; sed in illo priori ante causam effectus habet esse; ergo influxus causæ non est necessarius ut tribuat esse effectui.

352 Dices duas res simul esse posse vnam priorem altera in vno genere, & posteriorem eadem in diverso, unde effectus, qui in uno genere est prior, in altero genere est posterior & in eo genere in quo est posterior accipit esse à causa, & in genere in quo est prior disponit ad entitatem causæ; sed contra manifeste, quia causa efficiens v. g. est prior in genere causæ efficientis suo effectui; ergo minime est posterior.

353 Probatur consequentia, quia quod est prior simpliciter in vno genere causæ scilicet efficientis non potest esse posterius secundum suam entitatem effectui, quem causat: sed causa efficiens est prior in genere causæ efficientis secundum suam entitatem effectui: ergo secundum suam entitatem non potest esse posterius in genere causæ dispositiue, vel materialis.

354 Maior demonstratur exemplo, nam si forma rationalis, vel forma equina produceret materiam primam per creationem quoad entitatem materiæ primæ non posset iterum ipsa anima equi educi ex potentia materiæ primæ, & ratio manifesta est, quia id quod creat aliud, & producit de novo, præsupponitur cum sua entitate ad id quod creat & ad entitatem effectus creati, & effectus creatus habet esse post causam creatorem: sed illud quod habet esse post aliud non potest dare esse illi à quo habet esse; ergo si forma equi crearet materiam primam non posset iterum secundum suum esse educi ex materia prima, quia iam daret esse illi, à quo ipsa materia acciperet esse per creationem, quod est impossibile etiam si sit in diverso genere causæ; sed effectus causæ efficientis, scilicet actus bonus & meritorius accipit esse à physica prædeterminatione: ergo iterum non potest actus bonus dispositiue dare esse in genere causæ materialis, alias materia prima, quæ crearetur à forma equi in genere causæ efficientis posset in genere causæ materialis tribuere esse formæ equinæ, quod est falsissimum, etiam si sit in diverso genere causæ; ergo similiter, etiam si sit in diverso genere causæ non poterit actus bonus dare esse dispositiue physice prædeterminationi à qua accipit esse in genere causæ efficientis.

Secundo probatur eadem maior, quia id quod præsupponitur, præsupponitur ut existens, & consequenter præsupponuntur omnes causæ à quibus pendet in existendo, quæ enim ratione effectus præsupponitur existens nisi causæ talis existentia præsupponatur? si enim non præsupponuntur existentes causæ quomodo intelliguntur causasse aut ab illis effectum fluxisse? at inter causas efficientis causæ non præsupponitur effectus à tali causa procedens, alioquin ut eius causa esset prior in genere causæ efficientis ipso effectui, ita ipsemet effectus deberet præsupponi, quod nequit intelligi; ergo effectus causæ non præsupponitur in serie causarum ipsius causæ, quia talis effectus præsupponeretur existens à causa efficienti; hæc autem est ipsamet res, ad cuius productionem ipse supponitur, exempli gratia si albedo esset causa entitatis parietis, paries antequam materialiter causet albedinem actu intelligitur existens extra omnes suas causas, quarum una est albedo; ergo præsupponitur albedo: ergo præsupponuntur omnes causæ albedinis extra quas intelligitur albedo; sed una ex his causis est paries ipse: ergo paries supponitur ante albedinem, ergo paries supponitur ante se ipsum, quod repugnat.

Confirmatur v. g. si calor est causa productiva formæ ignis, & hæc est subiectum caloris, non potest calor intelligi produciens formam ignis, nisi ipse intelligatur productus esse, quia debet intelligi ut existens; sed non intelligitur tunc in illo priori quo præsupponitur nisi ut existens in subiecto, quia est accidens, utque tale concipitur. Rogo antequam intelligatur agere, cui subiecto intelligatur inherere non formæ quam producit, quia cum hæc nondum intelligatur producta, non potest intelligi ut afflata calore: ergo implicat intelligere vnam rem priorem alia in vno genere causæ, & eam non intelligere ut simpliciter priorem, nulloque pacto posteriorem suo effectui.

Deinde calor ille simpliciter est natura prior actione qua ignem producit; ergo simpliciter est prior ipso igne: antecedens patet, quia actio à calore dependet, & calor non pendet ab ea actione, neque per eam; ergo calor simpliciter est prior illa actione. Hæc consequentia patet ex terminis, & ex iam supradictis, primam consequentiam proba, quia ignis non est prior illa actione sed simul re natura absoluta & ratione; ergo quidquid est præsuppositum illi actioni, præsupponitur illius termino.

Vergetur, quia causa prius saltem ratione, aut natura ponitur ad causalitatem per quam causat: sed si mutuo se præcedunt causaturque non potest ita poni: ergo. Maior probatur, quia entitas creata prius intelligitur habere suum esse

esse in se, quam illud alteri communicare, & prius intelligitur proxime potens, quam actu causans, quia potentia proxima est ratio ob quam causat actus, quod adeo verum est, ut inde sit ortum commune ad agendum actiones suppositorum, quia supposititas est ultima natura perfectio, quae donec naturae adueniat non intelligitur natura operans, quia prius res in se perficitur quam ab ea aliquid fluat; denominationes autem tribuuntur ultimae formae, quae ad eas requiruntur, ea de causa actiones tribuuntur suppositis, quia sunt ultimae formae complentes naturas requisitas ad operandum. Minor probatur, quia si mutuo causantur: ergo causa verbi gratia, A, non est prior causalitate per quam causatur à causa B, quia effectus non est prior causalitate quia fit: ergo neque est prior causalitate sua, quia haec non est prior quam causa B, sed causa A, non est absolute posterior quam B, in hac sententia: ergo neque causalitas causae A; est absolute posterior quam ipsa causa A.

352 Secundo principaliter sic probatur, quia physica praedeterminatio infunditur homini, quia est contritus, verbi gratia, vel quia toto corde per dilectionem super omnia in Deum conuertitur, & tali modo disponitur ad physicam praedeterminationem: ergo talis contritio, vel dilectio non potest esse ab ipsa physica praedeterminatione, tanquam à principio efficiente proxime: antecedens est ipsa sententia aduersariorum; hi autem auctores cum quibus pugnamus asserunt contritionem, & dilectionem super omnia esse ultimam dispositionem ad physicam praedeterminationem: ergo in illo genere causae non potest haec propositio causalis negari, homini infunditur physica praedeterminatio, quia est contritus.

360 Consequentia vero probatur primo, quia si contritio, verbi gratia, eliceretur à physica praedeterminatione, sequeretur manifeste hanc causalem esse veram, homini infunditur physica praedeterminatio, ut conteratur, hoc autem repugnat priori propositioni causali: ergo admitti non potest. Sequela probatur, quia si actus elicitur à physica praedeterminatione, physica praedeterminatio est quae dat vires proximas, & efficaces voluntati ad eliciendum talem actum: ergo infunditur physica praedeterminatio voluntati, ut per illam tales actus elicere valeat, sicut datur animae beatae lumen gloriae, ut videre Deum possit, vel sicut datur homini auditus ut audiat, & potentia motiua ut moueatur.

361 Ex quibus exemplis facile probatur minor; nam lumen gloriae, eo ipso quod datur animae ut videre possit non potest illi infundi, quia videt, idemque est de auditu; nam quia datur homini, ut audire possit non potest ei dari, quia audit, & in vniuersum nulla potestas fit in subiecto eo quod eliciat actum eius solum, quia datur ut possit subiectum cum actum elicere: ergo si physica praedeterminatio datur ut homo eliciat actum charitatis, fieri non potest ut homini infundatur talis physica praedeterminatio, quia eius actum elicit. Idem ergo optime declarat exemplum de habitu gratiae, si daretur homini ut principium quo possit conuerteri, seu ut conuertatur, vel è contratio si habitus datur homini ut eliciat actum per quem conuertitur, & nihilominus per conuersionem disponitur ad habitum.

362 Et confirmatur haec Doctrina ex modo argumentandi Sactorum Hieronymi ad Ephesios primo, & Augustini libro primo, de praedestinatione Sanctorum, cap. 17. nam ex eo quod Apostolus in dicto loco ad Ephesios 1. ait: elegit nos in ipso ante

mundi constitutionem, ut essemus sancti, inferunt non elegisse nos Deum quia eramus sancti, nimirum, quia illae duae causales non possunt simul in eundem actum conuenire, & eodem modo Concilium Araucanum, Canone 25. ex eo quod Paulus de se dicit, primo Corinthiorum 7. tanquam misericordiam consequutus à Domino ut sim fidelis, ponderat, & colligit non esse misericordiam consequutum, quia fidelis erat sentiens illas duas causales repugnare eidem actioni, seu respectu eiusdem effectus. Sic ergo in praesenti, si homini physica praedeterminatio infunditur ut conteratur, non ei infunditur quia contritus est.

Et ratio est manifesta, quia particula, ut, de 363 notat causam finalem, quae in intentione est prior, & in executione posterior, & solet esse effectus in genere causae efficientis illius praedeterminationis, quae per talem finem datur, particula autem, quia, denotat causam priorem in ordine executionis, quae sit aliquomodo medium, seu principium respectu talis effectus, siue per modum principij efficientis, vel physice, vel moraliter, siue impetrando, siue aliquomodo merendo; nullo autem ex his modis fieri potest, ut medium sit effectus finis: si ergo contritio est medium ad obtinendam praedeterminationem physicam, non est finis propter quem physica praedeterminatio infunditur, & consequenter neque physica praedeterminatio est principium, quod ad eliciendam contritionem infunditur.

Tertio sic argumentor principaliter, quia effectus 364 causae efficientis non potest esse realis causa suae causae, neque in genere efficientis, neque in alio genere causae, quae existentiam realem ad causandum in ipsa causa requirat, sed solum in genere causae finalis quae ad causalitatem suam non requirit existentiam in re, sed tantum in apprehensione: at vero actus contritionis, verbi gratia, est talis causa dispositiua physice praedeterminationis, ut ad causandum requirat existentiam realem priorem suo effectui: ergo impossibile est hanc eandem dispositionem esse effectum eiusdem physice praedeterminationis in genere efficientis, seu è conuerso impossibile est physicam praedeterminationem, esse causam efficientem actus disponentis proxime subiectum ad infusionem eiusdem praedeterminationis.

Maiores videtur per se nota ex terminis, quia causa 365 efficiens ideo non potest immediate efficere, quia ut efficiat supponitur actu, & simpliciter existens, agit enim in quantum est in actu: ergo eadem ratione non potest efficere aliquam causam realem sui esse, quae debeat supponi realiter existens. Patet consequentia, tum quia si non potest efficere suum esse, quia supponit illud, multo minus potest efficere esse suae causae, quod in illa ante suum proprium esse supponit. Tum etiam quia alias saltem mediate esset causa realis sui esse; nam efficiendo, verbi gratia, dispositionem necessariam ad suum esse effectiue pararet viam ad sui productionem: quod non minorem repugnantiam inuoluit.

Sicut non minus repugnat aliquem generare 366 patrem aut anum suum, quam immediate generare seipsum: similiter ergo non magis repugnat fore mater inducere seipsam in materiam, quam effectiue disponere, & preparare materiam ad sui receptionem; nam quod in illa causa media mutetur causae salitas efficiens in dispositiua parum refert, cum in causa etiam disponente praerequiratur existentia quae dicitur esse effectiue ab ipsa forma.

Secus vero est in causa finali, quia ut causet non

non supponitur facta, neque existens, & ideo Aristoteles solum inter finem, & efficiens posuit mutuum habitum prioris, & posterioris in illis diversis generibus causarum & ad summum extenditur ad causalitatem materialem & formalem ut infra explicabo, & specialem rationem reddam, non tamen potest habere locum inter actum, qui sit realis dispositio præparans subiectum ad introductionem physice prædeterminantis, & hanc quæ sit vera causa efficiens talis dispositionis, quia talis dispositio supponitur actu disponens, non disponit autem nisi ut realiter existens & producta in subiecto, illudque informans, & ideo non potest in illo fieri à forma, ad quam disponit alias vel fieret à forma, quæ nondum est, vel forma effectus præpararet subiectum ad sui introductionem, & sic vel præpararet illud antequam in illo esset, & consequenter antequam esset, quia accidens non potest esse nisi in subiecto, quod est contra rationem efficientiæ vel postquam in illo existeret quod est contra rationem dispositionis præparantis materiam, nam iam supponeretur forma inducta in materia nondum præparata.

368 Dicunt vero aliqui non necessario supponi existentiam actualem in causa disponente, ut sic, quia causa disponens materialis est, materia autem potest causare antequam intelligatur esse, ut quidam Thomistæ dicunt, quia materia non causat ut est in actu, sed ut est in potentia.

369 Sed contra, quia falsum est assumptum etiam in causa materiali maxime propria, quæ est materia prima, nam etiam illa non potest intelligi causans, nisi intelligatur existens, & producta ab aliqua efficiente causa, nam licet dicatur causare, ut est in potentia ad formam, non tamen potest causare nisi ut est actu secundum actum, quem entitativum vocant.

370 Quidquid vero sit de propria, & pura materiali causa, de dispositione reali est id evidentissimum, nam licet dispositio dicatur reduci ad propriam causam materialem, quatenus præparat subiectum & ex parte illius se tenet, in re tamen ipsa disponit subiectum actuando illud, & dando illi aliquid esse, sicut calor v.g. disponit lignum calefaciendo illud formaliter disponit: ergo actuando in suo genere: ergo non potest intelligi causa sic disponens nisi intelligatur existens, & consequenter producta, seu iam educta de potentia subiecti, quod in præsentia est evidenter, quia dispositio non solum est actus actuans, & informans potentiam, sed etiam est actus secundus, & ultimus, qui maximam actualitatem requirit, est etiam actus vitalis, & liber qui intime includit efficientiam hominis disponentis se ad prædeterminationem, & ita talis dispositio non solum requirit actualem existentiam, & realem productionem, sed etiam supponit principium effectuum sui ipsius iam præexistens, & in actu primo constitutum, unde impossibile est ut sit, vel præintelligatur constitutum per ipsamque habitum ad quem talis actus disponit: ergo talis dispositio ut sit, & fiat supponit principium effectuum talis actus in quo prædeterminatio non includatur, & à qua actus disponens sufficiens, & actualiter procedat & consequenter prædeterminatio postea indita ratione talis actus illa amplius efficere non potest.

371 Quarto sic argumentor principaliter, quia si due res se possent causare in diverso genere entis: ergo etiam in eodem consequens est absurdum, tum quia in Philosophia est omnino in-

I. P. Tom. II.

auditum, & ab omni Philosopho negatum; tum quia nulla interveniret naturæ prioritas inter causam, & effectum; nam inter causas caloris, exempli gratia numeratur efficiens quæ est ignis, & inter causas ignis numeratur calor illum efficiens: vel ergo nulla esset prioritas, vel idem esset prius se ipso in eodem genere: sequela probatur, quia si materia pendet à forma, v. g. ergo forma vere influit, & quæque vera causa materiam: ergo materia, ut existat, requirit formam existentem, ad quam existentiam sufficit formam simul esse cum materia, licet aliquomodo sit forma posterior quam materia; sicut ergo forma potest vere causare materiam à qua ipsa forma causatur, cur due cause efficientes non se mutuo causabunt: solum enim dicendum est formam, & materiam posse ad invicem causari hoc modo ut materia causet entitativum formam; forma autem non causet entitativum materiam quoad intrinsecam esse substantiale ipsius materiam, sed solum quoad esse informatum, animatum, vel humanatum: unde impossibile est ut forma causet intrinsecam entitativum materiam, & materia intrinsecam entitativum formam, ratione cuius solum potest concedi mutua causalitas iam dicta, alias etiam in genere causa materialis & formalis sequentur incommoda iam relata, quia autem causa efficiens producit entitativum effectus intrinsecam, & substantialem; ideo in hoc casu dicimus filium non posse producere entitativum substantialem sui patris à quo productus est filius quoad propriam entitativum propter inconuenientiam iam supra demonstratam, unde asserendum est in nullo genere causæ, præter causam finalis & efficientis, ut iam dixi posse verificari quod una causa sit causa sui effectus quoad intrinsecam substantiam talis effectus, & quod iterum talis effectus causet intrinsecam substantiam suæ causæ in alio genere causæ ab eo in quo productus est effectus à causa.

Ultimo sic argumentor contra hanc opinionem ex communi illo axioma, quod principium meriti non potest cadere sub idem meritum; cum ergo physica prædeterminatio sit principium contritionis in opposita sententia, non potest eadem physica prædeterminatio dari propter contritionem tanquam propter dispositionem moralem, aut meritum de congruo.

Scio aliquos negare esse meritum de congruo contritionem ad infusionem physice prædeterminationis, quia non præcedit, nisi in genere causæ materialis, meritum vero debet esse in genere causæ efficientis, & quidè commode ad suam doctrinam, sed falsò, quia alioquin infusio physice prædeterminationis, & donorum non esset voluntaria homini, quod est falsum, in tantum enim est voluntaria in quantum disponit se homo voluntarie, & libere ad prædeterminationem, ut ipsi asserunt: ergo contritio propter dispositionem intelligitur libera homini; ergo habet quidquid requiritur ad meritum de congruo in esse dispositionis, alioquin nõ magis exigeretur ad communicationem actualis prædeterminationis actus liber contritionis, quam actus necessarius.

Confirmatur, quia actus contritionis propter hanc rationem secundum Concilium Tridentinum est meritoria de congruo respectu gratiæ habitualis, quia est dispositio supernaturalis meritoria, & libera ad gratiam habitalem, sed etiam talis contritio est dispositio supernaturalis, moralis, & libera respectu physice prædeterminationis: ergo est meritoria de congruo respectu illius.

ooo

Sde

375 Sed iam concedamus dari mutua causalitatem inter habitum gratiae, & actum contritionis, ratione cuius affertur isti auctores posse etiam dari mutua causalitatem inter praedeterminationem, & actum contritionis ab illa factum: sed re vera licet detur talis mutua causalitas inter gratiam habitualement, & contritionem, nihilominus ostendamus non esse eandem rationem in mutua causalitate inter gratiam habitualement, & amorem Dei, & inter praedeterminationem, & actum, quod sic demonstro.

376 Praedeterminatio ex intrinseco suo conceptu habet repugnantiam, ut componatur cum actu, & eius carentia, quia determinate respicit actum, sine quo non potest existere: sed in hac sententia de mutua causalitate charitatis, & gratia ex intrinseco suo conceptu, & secundum se non habet determinationem ad actum, sed possunt componi cum eius carentia: ergo non est eadem ratio, utriusque consequentia patet, quia argumentum sumitur à principio indifferenti secundum se ad determinationem secundum se. Minor datur ab auctoribus mutuae causalitatis, ad quos non potest argui ad hominem, quia ipsi negant gratiae determinationem in actu primo ad operandum, & eam admittunt in praedeterminatione. Deinde, quia si gratia non habet eam indifferentiam, iam non est fugere difficultates praedeterminationis, sed eas trajicere ad gratiam habitualement, unde si ipse sentit sententiam suorum esse dignam aliqua censura, haec etiam sententia mutuae causalitatis est digna eadem, quod nullus potest recte admittere.

377 Tertio, quia habitus ex natura sua infundi potest sine illa dispositione ut patet in pueris baptizatis, & in adultis iustificatis in Sacramento per attritionem; item potest existere ille habitus tam in pueris, quam in adultis quin operetur; quamvis in actu primo sint in adultis omnia requisita ad operandum: ergo habitus secundum se est independens ab operatione, & ita operatur, ut possit non operari; nam quando operatur in casu, in quo disputo, operatur cum eadem indifferentia, cum qua in adulto iam iusto, in quo multi actus exercentur sine mutua dependentia, & sine determinatione ipsius actus in actu primo, quia iustus omittit libere multos actus charitatis, quos posset libere facere. Maior autem est ipsorum, & probatur, quia praedeterminatio, vel potest componi ex modo suo agendi cum actu, & eius carentia, vel non potest: Si non potest, est maior propositio primi syllogismi; si potest: ergo iam ex natura sua auxilium efficax potest esse inefficax, quia potest carere effectu; item iam illa qualitas esset qualis à nobis constituitur nempe sine efficacia physica ex se.

378 Explico, etiam est mutua causalitas per vos inter formam ignis, & calorem; nec tamen propterea calor producit libere ab igne: ergo non sufficit quavis mutua causalitas; sed requiritur ut actio ita oriatur ab agente ut ex conceptu ipsius possit non oriri: nam ut effectus sit liber opus est ut habeat indifferentiam respectu alicuius principij, sed etiam non habet comparisonem principij passivi, unde actus praedeterminatus non habet libertatem ut praecise recipitur in voluntate: ergo praecise ut praecedit in genere dispositionis passivae non concipimus illum esse liberum: ergo ex hoc conceptu mutuae causalitatis non iuvat libertas magis quam si non esset haec causalitas. Patet consequentia, quia haec praeter influxum actuum non includit, nisi concursum dispositivum materialiter: sed in hoc ut distin-

guatur ab activo nulla cernitur ratio libertatis: ergo haec mutua causalitas non iuvat libertatem: ergo tota libertas sumitur praecise in ordine ad principium actuum: sed principium actuum non operatur libere, sed necessario quia operatur cum praedeterminatione ad unum: ergo hoc genus operandi cum mutua causalitate habet eandem difficultatem, quam praedeterminatio sine causalitate mutua.

Confirmatur, quia non est in nostra potestate habere praedeterminationem; quia ut sit in nostra potestate debet esse libera nobis dispositio ad illam: sed dispositio, ut est dispositio non est nobis formaliter libera, quia ut dispositio non habet influxum actuum à nobis sed passivum, item illam debemus habere per influxum praedeterminationis; sed hunc influxum non possumus cohibere ex suppositione praedeterminationis, quia non possumus cum illa componere dissentium: ergo illa dispositio, ut dispositio non est in nostra potestate: ergo praedeterminatio non est in nostra potestate, quod si est: ergo potuimus efficere ne praedeterminaremur. Rogo, illa actio ut libere potuit efficere ne praedeterminaremur à quo principio id habuit actine: Nam ab aliquo id habuit necessario, quia libertas est in ordine ad agens, non potuit autem eam libertatem habere à praedeterminatione, quia haec non intelligitur in illo priori, quia in illo priori intelliguntur causae dispositionis ad praedeterminationem inter quas non est ipsa: ergo illa libertas sumitur ab alio principio activo non praedeterminante: ergo vel dispositio ad praedeterminationem non est nobis libera vel est ab alio principio non praedeterminante, in hac sententia damus dispositionem illam oriri à principio, à quo potuit simpliciter non oriri quod componi potuit cum actu, & eius carentia: ergo non est eadem ratio mutuae causalitatis inter actum & habitum charitatis, ac inter praedeterminationem, & actum, quia actus praedeterminatus non oritur à suo principio cum indifferentia, ut cum illo principio componatur ipsius actus carentia, ut oritur actus ab habitu residui: ergo haec sententia in eadem difficultates in quas praedeterminatio sine causalitate mutua. Ex quibus manifeste concluditur minime enervare solutio horum recentiorum argumenta validissima pro Societate.

SVBSECTIO III.

Aliud argumentum ponitur.

Secundo, principaliter sic argumentor, quia 380 Si concursus praevius determinans est ad operandum necessarius: ergo sine illo influxu, seu concursu non potest moveri voluntas tanquam potentia proxima & expedita ad opus, sicut non potest calefacere ignis sine concursu Dei, nec manus potest movere calamus nisi à voluntate vel appetitu moveatur; nam intimius, & essentialius dicitur pendere voluntas ab hac motione & determinatione Dei in operatione sua, quam dependeat motio manus à voluntate: ergo quando Deus non dat hanc determinationem, etiam si omnia necessaria ad volendum adsint, adhuc non est in voluntatis potestate positum velle, vel operari. Probatur consequentia, quia si non est in potestate voluntatis velle sine tali determinatione, neque est in potestate eius habere ta-